Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

§.1. Solliciti viuere debemus, vtrum prædestinati sumus: horum enim numerus est determinatur, & signatus, sicut piscium in secunda D. Petri piscatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

obfuſcati velut veſpertiliones illũ lapidare conati ſũt; porrò de illis adeo efficaciter Chriſtus triumphũ retulit: vt verbi ſui ſolâ potentiâ illos vt ſtatuas reddiderit, atq; vt tales hæſerint manibus lapides præferentes, quibus Redemptor noſter vt, illas mouerent, locum vireſq; minimè conceſſit. Ipſe per miſericordiam ſuã nos dignetur illuminare: nam tales diuinæ veritates

Pſ. 42. 3.

luce indigent clariori: *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam*, petebat Dauid: Optimè veritatem Dei, Dei luci coniunxit: non enim hæc intelligetur veritas, quam nobis communicat niſi ſuam pariter lucem ad eius intellectum, nobis infuderit. Illam obtinebit illa Domina. quæ illam adeo copioſè recepit, vt eam Diu Ioannes viderit ſole circumamictam; hanc autem nobis aſſequetur ſi eam ſupplices deprecemur, dicendo: *Aue Maria.*

§. I. *Sollicitè viuere debemus, vtrum prædeſtinati ſimus: horum enim numerus eſt determinatus, & ſignatus, ſicut piſcium in ſecunda D. Petri piſcatione.*

2 Serm. 1. de quadrag.

I. Prædeſtinatio magnam inuoluit anxietatem.

DIſputat D. Bern. de altiſsimo prædeſtinationis myſterio, & circa illud tria notat. Primum: quod ſit magnæ anxietatis myſterium. Secundũ: quod non ſit ſapientis illud velle perſcrutari. Tertium: quod ad iuſtorum conſolationem quædam Deus prædeſtinationis ſtatuerit indicia: atq; ad improborum terrorẽ indicia reprobationis. Primum: certe non paruam ingerit hoc anxietatem; quid de me futurum erit, num ſaluabor, num damnabor? Vtrũ ad æternam ſim prædeſtinatus gloriam, vtrum ad æternos ſim præſcitus cruciatus? Vtrum de numero ſim electorum Dei, vt cum illo in regno eius regnem in æternum; vtrum de numero ab illo reprobatorum, vt cum Dæmonibus ignes ſuſtineã ſempiternos? Doctrina eſt plana & indubitata, ſacris litteris expreſſa: quòd Deus noſter & Dominus ab æterno quoſdã prędeſtinauerit & alios reprobauerit, quoſdam elegerit in cœli ſtellas & regni ſui reges, in quibus ſuam oſtenderet bonitatem & in quos miſericordiæ ſuæ cunctas effunderet diuitias, quibus illos affatim repleret: ea namq; de cauſa Apoſt.

Ad Rom. 9. 23.

illos nominat: *Vaſa miſericordiæ*; alios autem reprobauerit, vt ſint inferni titiones, perpetui Luciferi dæmonumq; ſerui, conſtricti in ęternum obſcuris illis ergaſtulis, & tenebrarum cauernis, in quibus ſuam Deus oſtendit iuſtitiã, & horrendos iræ ſuæ torrentes effundit: qua de cauſa à D. Paulo dicuntur *Vaſa iræ*: licet autem noſcat Deus, quot ſint hi, & illi: tamen prædeſtinatorum numerus particulariter eſt à Deo præfixus & determinatus, vt probat D. Thom. ſicut & certus eſt eorũ numerus, quos ad cœnã inuitaſti & elegiſti: hoc enim eſt quod ait, D. Paul. *Cognouit Dominus qui ſunt eius*. Merito dicit *Cognouit Dñus*: quia ipſe ſolus nouit, quot & quinã ſint iſti, quibus ſors illa cecidit optatiſſima, ſicut Eccl. canit: *Deus cui ſoli cognitus eſt numerus electorũ in ſuperna felicitate locãdus.*

1 p. 23. ar. 7.

2 Ad Ti. 2. 19.

II. Duæ Apoſtolorum piſcationes allegoricè explicãtur.

Notat eleganter D. Aug. duas piſcationes D. Petri cum Apoſt. per virtutem Chriſti Saluatoris, prima contigit ante reſurrectionẽ, altera poſt. Primam piſcationem narrat D. Lucas: quando Dominus occurrit Apoſt. piſcantibus & multã moleſtia fatigatis: etenim totã noctẽ huic impenderant miniſterio, ſed irrito conatu & vacuis retibus. *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Præcipit Dominus D. Petro: *Duc in altum & laxate retia veſtra in capturam:*

Luc. 5. 9.

idque in vtrumque latus dextrum & ſiniſtrum. Imperata faciunt, & illico implentur retia piſcibus tanta multitudine; vt ambæ nauiculæ his implerentur, ſic vt ad ſubermiſsionis periculum grauarentur: *Impleuerunt ambas nauiculas: ita vt pene mergerentur*. Tantum erat piſcium põdus, vt retia dilacerarentur: *Rumpebatur autem rete eorum.*

Secundam piſcationem narrat D. Ioan. Chriſto Domino à mortuis reſuſcitato. D. Petrus cum aliis diſcipulis piſcatur, illis apparet Dominus in littore maris, atq; inde iniungit illis: *Mittite in dexteram nauigij rete & inuenietis.* Ioa. 21. 6

Iuſſis abtemperant, retia mittunt, & maximam colligunt piſcium multitudinem: erant omnes magni, grauioris ponderis, & determinato certoque numero; illos autem nauibus in mari fluctuantibus non iniecerũt, ſed ad ſolidum terræ littus attraxerunt: *Traxit rete in terrã plenum magnis piſcibus, centumquinquaginta tribus.* Subiungit autem Euangeliſta hanc circumſtãtiã; *Et cum tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete.* Sed omnes in terrã attracti ſunt, & educti. Hic D. Aug. angelico præſtans ingenio ſubtiliter diſcurrit per has piſcationes piſces, retia, naues, & terram, etenim certum eſt cum hæc ipſe Deus operaretur & Sp. S. calamo D. Ioan. & D. Lucę ſcriberet, quod credere non debeamus hic aliquid vacare myſterio: quinimo multa his piſcationibus myſteria repræſentari.

Duas inuenimus piſcationes ambas expreſſa Chriſti virtute peractas. Prima, ipſo adhuc 3

mortali

III. In duobus Ecclesiæ ſtatibus conſiderantur.

mortali vita viuente, peracta eſt altera, cum eſſet iam in ſtatu gloriæ per reſurrectionem immortalis. Licet illas in duobus Eccleſiæ cõſiderare ſtatibus: quorum vnus vitam hanc ſpectat mortalem; alius venturam immortalem & glorioſam. Prima piſcatio illa fuit facta per Apoſtolos, quando miſit illos retibus inſtructos Euangelij per totum mundum prædicaturos dato illis præcepto vt ducerent in altum & maris profundiora penetrarent: non illis ſatis eſſet populo tantum Iudaico Dei verbum proponere, ſed etiam Gentilibus, mandans vt retia laxarent & mitterent in mundum quaquauerſum: *Euntes in mundum vniuerſum, prædicate*

Marc. 16,15.

Euangelium omni creaturæ. Retia laxarunt ſua, per vniuerſum collegerunt piſcium multitudinem omnibus manibus copioſam bonos & malos, vt ambæ complerentur nauiculæ per mundum fluctuantes; populi ſcilicet Iudaici & Gentilitij. Hos piſces nauibus iniecerunt mare ſulcantibus, illi etenim quos colligebant, in huius vitæ mari remanebant mille tempeſtatibus periculiſque ſubditi quæ ſecum miſera hæc trahit vita, velut mare nulla conſtans ſecuritate.

IV. Mali vel hæretici retia dilacerant.

Conſideremus cum D. Auguſt. tantam fuiſſe piſcium multitudinem vt nauicula penè mergeretur, & piſces quidam retia dirumperent ac egrederentur: quia tantus fuit eorum numerus quos retia complexa ſunt Euangelij, vt inter illos multi ſint, qui criminum ſuorum grauitate Eccleſiam non contemnendo exponunt periculo, & eam videntur ſubmerſuri qui & ſæpius rete dilacerant, atque exiliunt ſciſſuras in Eccleſia producentes, & diuiſiones, ab eius ſe gremio diſcernentes:

D. Aug. Ser. 148. de temp. To. 10.

Premebantur nauigia præmultitudine, ita multi mali Chriſtiani, qui male viuunt, Eccleſiam premunt: imo & retia diſrumpunt: nam à nobis exierunt & ſchiſmata inducunt: Diuus Auguſtinus.

Porrò alia piſcatio eſt piſcium eorum quos Dominus menſæ ſuæ, & regno eligit ſeruatque immortali, per rete æternæ prædeſtinationis, quæ ſignificatur per eam quam fecit rediuiuus in ſtatu immortali, cuius ſymbolum erat terræ ſoliditas, *Stetit in littore.*

V. Omnes electi ad litus ſecuri trahuntur.

Proinde vt illam inſtituat, non vult vt in incertum, & ad quodlibet latus, retia mittantur, ſed tantum ad dexteram, quia piſcatio, quam Deus æternæ prædeſtinationis reti inſtituit, eſt tantummodo electorum ad dexteram ſuam in iudicio collocandorum: *Iam modo qualis erit Eccleſia poſt reſurrectionem audite, diſcernite, gaudete, ſperate, comprehendite. Mittite, inquit, retia in dexteram partem, iam dextris capiuntur, nulli mali timeantur ſcitis eum qui dixit, ſe ſeparaturum eſſe oues à dexteris, dicturum: accipite regnum.* Collecti hoc reti in terram tracti ſunt ſolidam: quos enim Deus elegit æterna ſua prædeſtinatione, ad littoris trahit firmitatem, & beatitudinis ſtatum immobilem. Ne timeas hoc rete dirumpendum: nullus etenim eorum, quos Deus hoc reti collegit, interibit: hoc enim eſt quod in præſenti conteſtatur Euangelio: *Nemo rapiet oues meas de manu mea, & non peribunt in æternum.* Quod ipſum Apoſt. expoſuit in hoc myſterio verſatiſſimus, dũ ait: *Firmum fundamentum Dei ſtat.* Omnes piſces ad ſecuram tutamque pertingunt ſtationem. 2. Ad Tim 2. 16.

VI. Omnes electi magni ſunt.

Conſidera, monet D. Aug. omnes eſſe magnos in tantum vt Angelis æquiparentur: *Capiuntur piſces magni quis tunc paruus, quando erunt æquales Angelis Dei?* Omnes magni, qui coram Deo in eadem cum ipſo menſa reſidebunt. Hoc innuit Iſaias: *Non erit ibi amplius infans dierum.* Sed quomodo hoc? Numquid multi pueruli recẽs baptizati hinc diſceſſerũt? Iſa. 65. 20.

q. d. non erunt ibi parui, omnes erunt magni, omnes ſapientes, omnes diuites, omnes tanta magnitudine præſtantes, vt maximus terræ Monarcha coram illis ſcoria fumuſque reputetur. Similiter certus erit eorum numerus, qualis & piſcium eorum fuit: *Centum quinquaginta tres.* Quia certus eſt numerus, inquit D. Aug. nec hoc te moueat, quod numerum ponat adeo exiguum: *Abſit vt tantam paucitatem ſanctorum in illo regno futuro eſſe ſuſpicemur.* Hoc etenim tantummodo dicitur: quatenus

NVII. Numerus eorum certus eſt.

intelligas prædeſtinatorum numerum certum eſſe, determinatum, præfinitum, à Deo compoſitum qui illum certo numero coarctauit: nam quos hic piſces nominauit, alio loco ſidera dixit, quæ tanto ſunt numero vt omnem videantur numerum ſuperare; vt nullus ea poſſit Arithmeticus comprehendere, ſed Dominus Pſal. 146.

eſt, *Qui numerat multitudinem ſtellarum.* 4.

§. 2. Ita deſideranda eſt ſors prædeſtinatorum, ſicut timenda ſors reprobatorum; vnde ſancti ſemper timent.

HInc in te debet oriri perpetua quædam & 4

anxia ſollicitudo: vtrum de numero hoc futurus ſis, vel non: vtrum inter electos ad glo-

riam